

Alte Drucke

**DE || DIE IVDICII || TRACTATVLVS, || Seu || De septem
generalib. mundi ludiciis, quo-||rum sextum, id est
penultimum, iam || in mundo suos effectus ...**

Fregeville, Jean de

[S.l.], 1588

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149654

DE
DIE IVDICII
TRACTATVLVS,

Seu

De septem generalib. mundi Iudiciis, quo-
rum sextum, id est penultimum, iam
in mundo suos effectus pro-
ducere cœpit.

*In quo iam cœpto sexto iudicio cadet Babylon,
& quidem cito, & populus Dei liberabitur
e manu Antichristi.*

Auctore

IOANNE FRIGEVILLÆO GAVTIO.



Anno Domini, MDLXXXVIII.

DE IUDICI

TRACTATUS

27

De Iudicio et de Iudicibus
De Iudicio et de Iudicibus
De Iudicio et de Iudicibus
De Iudicio et de Iudicibus

De Iudicio et de Iudicibus
De Iudicio et de Iudicibus
De Iudicio et de Iudicibus
De Iudicio et de Iudicibus

De Iudicio et de Iudicibus



De Iudicio et de Iudicibus



ILLVSTRI DOM.

D. I. S. B. P. &c.



ELIVS est Deo servire quam
hominibus imperare, præcipue
cum seruitur Deo ad pacem &
cōcordiam membrorum eccle-
sia, liberationem populi Dei, &
stabilitionē regni Christi, ad quem finem cum
omnes fideles debeant tendere, T. G. vnā vi-
deo ad illum triplicem scopum omnia sua tela
dirigere, & omnes ingenii nervos intendere.
Imo eius rei gratia negligere propria negotia,
multa viriliter suscipere, strenue agere & con-
stanter persequi, multa indigne pati, nec defati-
gari, Christos, & fidelibus dicare ætatis florem,
vitæq; meliorem partem, magno adhibito Zelo,
industria, diligentia, absque vlla auaritia, qua
labe hodie pauci carent. Video tamen aliquos,
non solum inique sed & ingrate, tibi tuam vi-
tio virtutem vertere, multaue in tuam G. con-
uicia conicere. Verum quid sanctius Christo?

Et quid atrocius conuiciis quæ in illum cõiecta
sunt? Aut quid mordet inuidia præter virtu-
tem? In huiusmodi laqueos Septies in die ca-
dit iustus, liberatur tamen. Non ergo pro-
pterea defatigari oportet, sed spe meliorum frui,
spe inquam illius liberationis & regni Christi.
Cum vero in hoc tractatulo testimonia qua-
dam exponantur, quib. fidelium animi erigun-
tur ad spem fauoris Diuini, & liberationis ec-
clesiæ e manibus inimicorum sub hoc sexto iu-
dicio, T. G. dicare volui. Scias igitur Deum o-
mnia bonis, in melius conuersurum. Cum etiam
Dominus noluerit unguenti effusi memoriam
aboleri. Nonne indignum esset tot laborum ex-
antlatorum memoriam non celebrare? Deum
igitur supplex orabo ut tibi vitam tribuat fe-
licem, faxitque ut tui sancti conatus sicut pia
est, sic perpetuo celebris sit recordatio. Vale.

TR A-

TRACTATVLVS DE IUDICII DIE.

Falluntur, qui existimāt toties in Scriptura sacra fieri mentionem de fine mundi, quoties de die iudicii mentio fit.

Cap. I.

EXISTIMANT aliqui, & Theologorum nostri temporis maior pars, quoties Scriptura in nouo Testamēto loquitur de futuro iudicii die, eā loqui de fine mundi. Et eorū argumentum tale est, Nouissimus dies est dies iudicii, ergo dies iudicii est nouissimus dies, seu finis mundi. Non tamē vident fallacem ibi consequentiam esse & deprehendi. Certū enim est nouissimum diem esse diem iudicii. At ex eo non sequitur, diem iudicii esse finem mundi, quoniā possunt esse plures iudicii dies, quorum vnus sit in fine mūdi. Nec solum esse possunt, sed & reuera sunt septem mundi generalia iudicia, quorum septimum est nouissimus dies. Et vt pateat perpetuo in nouo Testamēto per futurum Iudicii diem non designari mundi finem: adducemus Apocalypseos locū, vbi proponitur Angelus publicans horam Iudicii

Apoc. 14. 7. Dei, & dicens, *Time Deum, & date ei gloriam, quoniam venit hora iudicii eius.* Deinde

Apoc. 14. 8. cum sequitur alius Angelus, publicans casum Babylonicum, & dicens, *Cecidit cecidit Babylon ciuitas magna.* Ex quo patet publicationem horę iudicii præcedere publicationem casus Babylonicı. Publicatio vero casus Babylonicı præcedit finē mundi: Multo maiori iure igitur hæc publicatio horę iudicii præcedet mūdi finem. Quod autem casus Babylonis præcedat mundi finem: patet, ex eo quod fidelibus dicitur: *Reddite ei duplum iuxta opera sua, & in calice in quo miscuit vobis, miscete ei duplū. Et quāto magis gloriata est & versata in deliciis, tanto*

Apoc. 18. 6. *eam tormento & luctui subiicite.* Deinde dicit mercatores & nautas & gubernatores dolorem habituros & luctum propter eius casum. Quod si esset in fine mundi nō flerent Babylonis casum, sed mūdi casum & ruinam. prohibet etiam eius merces emere, ex quo patet, merces extituras, & emptores quib. tamen prohibetur ne eas emant, esset autē inutilis prohibitio si post finem mūdi esset. Itaq; hæc publicatio horę iudicii, præcedit mundi finem, verum hoc iudicium ut iam diximus, non est vltimū, sed aliud præcedens

cedens vltimum, ac in summa est publica-
tio iudicii Babylonis, ideoque eius publica-
tionem sequitur publicatio casus Babylo-
nis. Quæ vt facilius percipiantur, nosse o-
portet futurū vt Babylon cadat iusto Dei
iudicio. Sic etiam futurū est vt sicut Deus
exercuit sua iudicia quando populū suū
eruit ex Ægypto & Babylone. Sic cū Deus
liberabit populum suū ex hac ciuitate quę
spiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus
& Babylon, Deus exercebit multa iudicia
sua. Ea de causa cum de eius casu loquitur
Apocalypsis, dicit: *Deus est potens qui iudica-* Apoc. 18. 8.
bit eam. Et rursus vna hora venit iudiciū tuū. Apoc. 18. 10.
Et denuo, *Latemini cali & vos sancti Apostoli*
& propheta, quoniam Deus iudicauit iudicium Apoc. 18. 20.
vestrum de illa. Præterea liberatio populi
Israelitici ex Babylone fuit vocata iudicii
dies quæ tamen fuit figura liberationis spi-
ritualis Israelis ex ciuitate spiritualiter di-
cta Babylone. Hinc fit vt dies huius libera-
tionis dicatur dies iudicii, nō quod sit vlti-
mum iudicium, sed Babylonis iudicium, in
quo Deus iudicabit Babylonem, & vltio-
nem sumet de sanguine martyrum impie
effuso sub illa. Et liberabit populum suū
ex eius manibus tyrannicis.

Septem generalia esse mundi Iudicia.

Cap. 2.

Si quis recensere vellet particularia Dei iudicia, in abyssum incideret: nullus enim esset rei exitus. Est autem iudiciū Sodomo-
rum satis celebre, sed non generale. Nos igitur similia Dei iudicia, etiam si sint celebra, tamen quia generalia nō sunt, omitemus. Et generalia recēsebimus. Generalia tamen vocamus, non quæ omnino per totum mundum cognita fuerunt aut celebrata apud omnes gentes, sed saltem quæ acciderunt in locis, in quib. erat populus, qui tunc vocabatur populus Dei. Et in illis iudiciis Deus liberauit populum e manib. Draconis & Angelorum suorum. Generalia igitur mūdi iudicia septem hæc fuerūt. Primum quando Adam eiectus fuit e terreno Paradiso, vltimum in nouissimo die, reliqua sunt inter media quinque. Dicimus igitur mūdum fuisse iudicatū in eiectione Adami e terreno paradiso, quia in trib. personis, Adami, Euę & serpētis totus mūdus fuit iudicatus. Secundum iudicium fuit sub diluuiō, quod ideo in Euangelio adducitur in argumentum futuri iudicii. Tertium in exitu ex Ægypto, in quo populus Dei fuit libe-

liberatus e fornace ferrea, & ideo de eo di-
xerat Deus, *iudicabo ego gentem, cui seruiant.*
Quartum fuit in liberatione Israelis ex Ba-
bylone: quod etiam tēpus notatur vt dies
iudicii apud Prophetas, & vocatur iudiciū
Babylonis. Quintū fuit sub morte Domini,
de quo Dominus dicit. *Nunc est iudicium*
huius mundi, nunc princeps huius mundi dei-
cietur. Sextum iudiciū est sub proxime fu-
turo iudicii die. Septimum est futurum in
nouissimo die. Cæterum posset aliquis
existimare me vnum esse & nouū auctore
huius sententię: tamen ostendam me non
esse primū, qui hanc sententiā sustinuerim.
Quoniā eadē docuit Esdras. Etenim dicit
Esdras 4. lib. c. 7. *Iesum intra 400. annos ven-*
turum nomine Iesum exprimens & tēpus
aduentus ipsius, deinde dicit *filiū Dei Chri-*
stum moriturū tria exponēs, quod Christus
uenturus esset, ille scilicet, quē Iesum præ-
dixerat, eumq; esse Dei filium, tertio eum
moriturum. Quarto adiicit *omnes qui habēt*
respirationē cum illo morituros. Quod aliqui
satis inique, pace eorum dixerim, exponūt.
verum D. Paulus æquius exponit dicens, *se*
vnus pro omnibus mortuus sit, omnes mortuos
esse, quod exponi potest ex natura procura-

Genes. 15. 14.

Ierem. 51. 9.

Ioan. 12. 31.

tionis quę talis est, vt si quis per procurato-
rē iurarit, ipse iurasse intelligatur. qui enim
per alium facit per seipsum facere videtur.
Rom. 6.8. Sic dicit D. Paulus si cum ipso moriamur
futurū vt cum ipso viuamus. Et sic qui ha-
bēt respirationē, seu spiritū fidei cū Christo
mortui sunt iuxta Esdræ doctrinā. adiicit
quoq; tunc fore vt mundus cōuertatur ad
antiquum silentium per septem dies vt in
præcedentib. iudiciis: Si ergo mundus cō-
uertatur in silentium vt in præcedentibus
iudiciis, iudiciū est in antiquis iudiciis mū-
dum fuisse in silentium conuersum. Et tūc
quoq; iudiciū fuisse, & in illo iudicio vt in
præcedentib. mundū fuisse conuerium in
silentium. Hoc factum fuit, quia Deus tūc
iudicauit clamorē populi sui, & eo modo
eis satisfecit, & satisfaciēs imposuit silentiū
eorū querimoniis. fuit quoq; tunc, hoc est
sub morte Domini iudiciū iuxta testimo-
nium iam citatum. *Nunc est iudicium huius
mundi.* Quod autem dicit Esdras *mundum
conuersum iri in silentium vt in præcedentibus
iudiciis per dies septem:* Indicat non per septē
continuos dies futurum mundi iudicium,
quoniam nō inuenitur mors Christi tanto
tempore aut certo spatio fuisse coarctata,
sed

sed denotat septē diuersos & non cōtinuos
dies iudicii, quales sunt ii quos superius ex-
posuimus. Quorū ipse attingit illic vnū qui
est sub morte Christi, deinde nouissimum
cum dicit, *donec nullus supersit*, indicās nul-
lum superesse iudicii diem post illos septē.
Et alibi dicit iudicium futurū *post mortem*
quando reuiuiscemus. Attamē insuper attingit
ipse penultimū iudicii diem qui est sub
casu Babylonico, illumq; docet in explica-
tione regni Aquilę, dicens futurū, vt impii
qui sub Aquila impietates exercēt *viui sistā-*
tur in iudicio. Et vt spiritus Dei consoletur
pios ab hoc scilicet iudicio vsq; ad vltimū
iudicii diem, quē ipse dicit esse finē mūdi.
Et sic Esdras non modo de aduentu Chri-
sti & regno Aquilę egregie prophetat, sed
& de his septem iudicii diebus, præcipue
vero de tribus vltimis.

*Sextum hoc iudicium ab ultimo differt
& deprehendit inimicos veri-*
tatis. Cap. III

Cum ex iis quæ in præcedentib. capitib.
exposita sunt, pateat septem cōstituta esse
mundi iudicia, quorū quinq; præcesserūt,
duo futura sunt, ratio postulat vt de futuris
potius inquiramus præcipue de sexto quod

iam imminet. Et vt doceamus illud ab ultimo differre. Iam illud patet ex superius citatis primo capite rationibus, quod scilicet publicatio huius iudicii precedit casum Babylonis, & casus Babylonis mundi finē. Etenim sub casu Babylonico prohibet Deus nequis emat serica & currus & similes merces, quas oportet esse vt emi possint: si enim non essent, vana esset emendi prohibitio. Secūdo patet ex Apoc. 15. 4. vbi dicit futurum, vt omnes timeant & magni faciāt nomē Dei & adorent coram illo quoniam iudicia eius manifestata sunt. Et postea narrat templum fuisse apertum in calo, & e templo extitisse Angelos habentes septē plagas, quæ fuerūt effusæ super terrā & super mare, & super flumina & fontes, & super solem, & super thronum bestia, fient ergo hæc in hoc mūdo post publicationem illam iudiciorū Dei, quæ fiet in illa publicatione iudicii Babylonis, seu horæ iudicii de qua superius locuti sumus. Illud etiam probabimur ex Daniele. Cum enim ipse loquitur de iudicio quod sub fine regni Antichristi celebrabitur, dicit futurum vt iudicium sedeat, & Antichristo auferatur regnum, tradatur vero populo sanctorum altissimi omne regnum quod est sub toto calo. Qua
in re

in re maxime fallitur Antichristus, qui putat futurum ut regnum suum praeualeat usque ad finem mundi. Eo quod usque ad diem iudicii duraturum est. Aliud enim est durare usque ad diem iudicii, & aliud usque ad finem mundi praeualere: verum hæc mysteria fuerunt sigillis obsignata, quia Deus noluit ut inimicis suis innotescerent. Nunc vero Dei inimicos deprehendet. Similiter Eldras docet, futurum ut impii qui impietates sub aquila exercēt ut Antichristus, *viuisistantur in iudicio*, & ab illo iudicio usque ad nouissimum *Spiritum Dei latitia affecturum suos*. Possemus alias probationes ex supputationibus deducere, verum propter earum difficultatem, eas omitemus.

Iudicium de quo loquitur Daniel & Apocalypsis præcedet mundi finem. Cap. 4.

Existimant autem aliqui illud iudicium de quo loquitur Daniel non futurum ante finem mundi, quia non fiet visibiliter in hoc mundo. Iis concedemus non esse futurum ut visibiliter in hoc mundo celebretur. Attamen ex eo non sequitur illud futurum post mundi finem. Sed cum expletum erit tempus bestiarum, quod describitur illic apud

Dan. 7.

Danielem, scilicet *tempus & tempora & dimidium temporis*. Tunc futurum est ut iudicium Babylonis celebretur. Et illā celebrationem describit Daniel, dicens *Antiquum dierum sessurū velut in throno iudicii*. Et illic velut auditis partib. iudicaturum inter Babylonem & populum suum, & sententiam laturū iuxta quam regnū auferetur Antichristo, & populo sanctorū tradetur omne regnum quod est sub toto cælo. Verū non existimādum est ut illud fiat visibiliter, aut aliter quam ex effectis apparere. Et similes iudicii descriptiones sunt apud Isaiā, Ezechielē, Esdrā, Apocalypsim & alibi passim in scriptura sacra. Et hic dies iudicii cōparatur aduentui Christi, nō quod tunc visibiliter appareat: Sed ex effectib. eius maiestas ubiq; præsens cernetur vindictā sumēs de inimicis suis, & liberans populū suū ab eorū manib. Et ideo dicitur Christus *gladio oris sui confecturum inimicos suos & Antichristum expugnaturum claritate aduētus sui*.

Apoc. 19. 21.

2. Thes. 2. 8.

Erit enim species aduētus in quo non deerit lumē, verum nō erit aduentus visibilis, nec *gladius oris* Christi erit gladius visibilis. Sed hic aduentus inuisibilis in Apocalypsi docetur: describitur enim præcipue duob. locis.

locis. Scilicet sub figura Michaelis archan-
geli pugnantis gladio oris contra draconē
& Angelos eius. deinde sub figura equitis
insidentis equo albo, qui est rex regum &
Dominus Dominātium, qui dicitur etiam
pugnasse contra membra Antichristi gla-
dio oris sui, ita vt aues cæli satiatae sint, eorū
carne. Gladius vero ille quo *Michael* qui est
rex regum pugnat est gladius verbi sui, gla-
dius iuris & iustae vindictae, quā sumet talē
de inimicis suis vt aues satientur eorū car-
ne. Ea igitur indicant Christum talē sump-
sisse vindictam vt ipsi occisi fuerint & aues
satiatae eorum carne. iam si post mūdi finē
illud fieret aues non comederent mortuo-
rum cadauera. Itaq; hæc sumenda sunt de
hoc priori aduentu qui fiet modo nō visi-
bili. Vocatur igitur dies iudicii duabus de
causis. Primo, quia in illo iudicabitur Baby-
lō & iudicata cadet, & liberabitur populus
Dei ab eius oppressione. Secundo, quia in
eo iudicia Dei manifestabūtur, iuxta illud
quod dicitur Apoc. 15. 4. vbi dicit, futurum
vt omnes *Deum timeant & magnificēt nomē
eius, & adorent coram illo quoniam eius iudicia
manifestata sunt.* Et horum iudiciorum ma-
nifestatio talis est. Vt sicut lex habuit suum

Apoc. 12.

Apoc. 19.

diem, hoc est diem manifestationis suæ in
exitu ex Ægypto. Et fides habuit diē suum
seu amplioris manifestationis suæ in aduē-
tu Domini in carne, sic iudicia habent diē
suum, hoc est diem maioris & luculentio-
ris manifestationis suæ in hoc exitu ex illa
ciuitate quæ spiritualiter vocatur Sodoma
& Ægyptus, & in hoc iudicio Babylonis.
Quod ex oppositione iuris Babylonici cū
iure diuino apparebit. Deus enim p̄misit,
vt Babylō posset iura sua nemine impedi-
ente condere in quib. ipsa delectata est. Et
quib. ipsa omnem omnis generis impieta-
tem exercuit & sanguinē martyrū effudit
& talem confusionem pepererunt hęc Ba-
bylonica iura qualem nunc videmus, qua
totius mundi status cōuellitur. Ex quo pa-
tet quam male egerint homines qui alia
iura quam diuina admiserunt, vt canonica
quib. idololatria sustinetur. Et ex impieta-
tib. & iniquitatib. quæ committuntur vbi
iura diuina nō obseruātur, apparebit sum-
ma pietas & æquitas quæ in diuinis iudi-
ciis inest, quibus impietas sustineri nequit.
Quin etiam eorum potestas & efficacia in
eo apparebit, quod nulla alia ratione mūdi
status potest componi & ab hac cōfusione
liberari

liberari quam beneficio iudiciorū diuinorum, hoc est obseruatione iuris diuini.

Sub hoc iudicio non euerdet, sed conuertet ad se Christus, omnia huius mundi regna.

At tamen qui Christo resistent, subuertentur. Cap. V.

Sub hoc iudicii die cōplebūtur hęc duo mytheria Prophetica, quæ continentur Apoc. 11. 15. & vers. 17. Vbi sub voce septimæ tubæ dicuntur *huius mundi regna conuersa esse Domino nostro Iesu Christo*, deinde quod *is qui est, qui erat, & venturus est, cæperit regnare*. Quæ nondum fuisse completa patet ex eo quod tubæ canunt post aperitionem sigillorum, quibus liber Propheticus hactenus obstrictus fuit. Non ergo illud potuit venire neque potest esse, quin sigilla Prophetiarum soluantur. Verum sicut in primo aduentu filii hominis eius aduentus explicauit multas Prophetias, sic eius hic secundus aduentus etiam si non sit visibilis, tamen eius cognitio multa aperiet Prophetica mytheria, & sub illo tubæ clāgent, quarū septima afferet *conuersionem regnorum huius mundi ad Dominum Iesum Christum*. Tunc etiam dicere poterimus *Christum cæpisse regnū suum*, scilicet plenius quā

Apoc. 11. 15.

vnquam fecerit. Quæ ratione? quia tunc
Rex intelligitur regnare cum eius edicta
obseruantur. Hactenus vero homines ne-
glexerunt edicta Christi, hoc est Diuina
iura seu iudicia Domini, quæ in scriptura
sacra continentur, totamque scripturæ sa-
cræ puriorem contempserunt doctrinam,
vt adhærerent quæ idololatriam sustinent
sub Antichristo: quandiu igitur traditio-
nes humanæ obseruantur, hominum edi-
cta coluntur & homines regnant. At cum
sublatis decretis & constitutionibus im-
piis humanis traditionibus iura Diuina &
Christi edicta obseruabuntur, tunc plane
dicere poterimus *Christum cœpisse regnum
suum.* Cæterum huius mysterii cogni-
tio vtilissima est, quoniam ex iis signis quæ
vndiquaque cernuntur & magis ac magis
cernuntur, manifestissimū erit Christi ad-
uentū seu iudicii diem imminere. Ex quo
aliqui possent colligere & merito maxi-
mam imminere catastrophē, & existi-
mare Christum venientem velle euerte-
re omnia huius mundi regna. Non igitur
euertere, sed conuertere ad se regna vult,
vt patet ex eo, quod dicitur quod *regna hu-
ius mundi conuersa sunt ad Dominum nostrum
Iesum Christum.* Dicimus tamen, Proponet

Dominus noster Iesus Christus non visibiliter, sed Spiritu oris sui delectū regibus & principibus huius mundi vt deligant quid malint aut cui malint obedire, Christo an Antichristo, aut cui iugo malint subiici, pio iugo edictorum Christianorum an Antichristianarum traditionum impio iugo. Tunc ipse potens est, vt conuertat aliquos ex illis. Qui vero nolent audire eius monitionibus, ipse cōtra illos armabit gladium oris sui, & vt contumaces & pertinaces ita conficiet illos vt *aves cœli satientur* Apoc. 19. 21. *eorum cadaueribus*. Itaque sub hoc iudicio mutabuntur vices, & quæ alios opprimere solebat, affligetur: Et ipsa meretrix magna in luctum, famem & viduitatem incidet.

Insignis erit & noua antiquarum prophetiarum cognitio sub hoc iudicio, non tamen noua prophetarum constitutio. Cap. VI.

Præter ea quæ superius opposita sunt, erit in hoc seculo iudicii ampla Prophetiarum cognitio, cui similis nō fuit à seculo Apostolorum. Non tamen erit noua Prophetiarum cōstitutio, sed noua antiquarū prophetiarū cognitio. Non enim erūt nouæ reuelationes quales fuerunt olim: Sed

Apoc. 5. 1.

antiquæ Prophetiæ innotescant, ita ut plane dici possit libros esse apertos qui diu clausi fuerant: fuerant enim diu libri clausi & velut sigillis obsignati ut patet ex Prophetia Isaïæ, in qua dicit *librum Prophetiæ futurū ut verba libri clausi & obsignati, quem aliqui offerunt viro ignaro literarum ut illum legat: Ipse vero respondet, se non posse, quia legere non nouit. Deinde traditur viro literarum perito, & ipse dicit se non posse legere, quia liber clausus est.* Quibus verbis docet futurum ut libri Prophetici ita clausi sint, ut neque docti neque indocti eos legere, hoc est, plane intelligere possint. Sic etiam in Apocalypsi proponitur *liber septē sigillis obsignatus, quē legere nemo potest excepto agno qui vicit ut sigilla solueret, & librum legeret.* Et ideo septē sigillorum solutio proponitur & libri aperitio. Sicut & apud Esdram dicitur *libri aperientur in presentia cæli.* Sic ergo libri Prophetici aperientur. Eodem modo dicitur Apoc. 10. futurum ut sub voce septimæ tubæ *mysterium Propheticum compleatur, quod mysterium cōtinet etiam sub se cognitionem mysteriorum Prophetico- rum, quæ cognitio innotescet sub hac septima tuba, & sub hoc seculo iudicii.*

Sic etiam ponuntur *duo testes & marty-*

res qui dicuntur esse duo *Prophetae*. Sed dicuntur quoque *dua olivæ, & duo candelabra* Apoc. 11
coram Deo terræ existentia, quæ aliqui existimant significare duos homines, quod tamen non potest esse, quia illa duo candelabra talia existimantur esse, qualia fuerunt in tabernaculo Mosaico, habentia septem lucernas, & sumuntur candelabra Prophetica pro lumine Prophetico: Hæc dicuntur moritura, & futurum ut denuo excitentur à mortuis, quod denotat futurum ut lumen Propheticum extinctum maneat per aliquod tempus, & postea rediituum vigeat & floreat. Quod tamen non accipiendum est, ac si novæ Prophetiæ futuræ essent. Scimus enim si *Apostolus, aut Propheta, aut Angelus aliud Evangelium afferret, quam illud quod allatum est, nos non debere admittere*, iuxta doctrinam D. Pauli. At etiam existimare debemus, si Prophetiæ deberent tantum cœlicolis innotescere, & non fidelibus in terra existentibus, eas frustra fuisse traditas fidelibus qui in terrâ versantur, Deus ergo Prophetias nobis tradens vult ut nobis innotescant. Et sane, *Apocalypseus* Prophetia est omnium difficillima. Tamē dicit D. Ioannes Deum eam *dedisse Iesū*

Christo ut eam demonstraret seruis suis. Non ergo eam vult occultare seruis suis, sed ostendere. Cur igitur ei fuerunt septem sigilla imposita? ut occultaretur inimicis Christi, & deprehenderet filios tenebrarum. Nouimus enim scriptum esse de die hoc Domini, quod debeat deprehendere non filios lucis, sed tenebrarum filios: Ideoque eius prænunciatio veniet in gratiā quinq; sapientum virginū, ita tamen ut quinq; virgines insipientes a cōiuiio nuptiarū agni excludantur. Itaque etiam si Prophetiæ maiori ex parte hætenus incognitæ fuerint, tamen hoc seculo innotescant. Et sic distinguetur hoc seculum regni Christi à seculo, quo regnauit Antichristus in eo quod iura seu iudicia diuina obseruabuntur, sublati humanis traditionibus, & pura doctrina piusq; cultus liber erit, sublati superstitionibus. Ex quo fiet ut pax & iustitia vbique floreat, & cognitio Dei vbique splendeat, ita ut à magno ad paruum omnes vno nomine Deum agnoscant.

Tempus durationis bestie iam expleri.

Cap. VII.

Quod ad tempus durationis regni bestie, illud non est ambiguum, quod duraturum

turum sit per mēses quadraginta duos, hoc
est annos 1260. Scriptum quoque est Dra-
conem dedisse potestatem bestię, & bestię
fuisse datam potestātē, vt compleret men-
ses 42. Ergo draco dedit ei illā potestatem.
Draco igitur illā sustinuit per menses 42.
quibus expletis quis sustinebit illam? Cœ-
perunt vero illi 1260 anni tunc cum bestia
decem cornuum, de qua loquitur Daniel,
habuit cornu præditū oculis iuxta Danie-
lis prophetiam ca. 7. vers. 8. Et tunc cum a-
quila dixit pennis suis, ne omnes simul vi-
giletis, sed successiue iuxta Esdræ prophe-
tiam 4. Esd. 11. 8. a quo tempore ad nostra
hæc tempora, intercipiūtur anni duratio-
nis bestię Antichristianę, ex quo cōsequi-
tur eius finem imminere. Nolo tamen de
his vltius loqui, res satis per se loquetur,
& euentus expressius res indicabit. Nec
solum ea ratione constat; sed etiam patet
Deum velle euertere huiusmodi regnum
impium, ex eo, quod eius impietas cōple-
tur, & ad extremam periodum peruenit.
Et extremi Satanæ conatus contra Dei
filios exercentur: neque est quicquam
quod de eius malitia & nequitia in Sacra
Scriptura dictū fuerit, quod iam comple-

mentum suum non acceperit. Neq; est quod quis existimet, hæc parui momenti esse, quia iam multa dicta fuerūt, quæ nullum habuerunt complementum. Ex quo fit, vt Dei verbū videatur vanū iis, qui vani sunt, & imprudenter eo vtuntur. Quis vero est qui neget Dei verbum verū esse? Si verum sit, singula quæ narrat vera sunt. Terminus vero bestię concluditur diebus propheticis, hoc est annis 1260, non igitur plus potest durare. Nunc autem quod eius Dominatio & superstitiones cœperint eo tempore quo nos statuimus, quærant qui sapiunt, alios rerum successus erudiet.

Debent fidelium animi aliquo velut refrigerio legitimo exhilarari, vt validius vsque ad finem sustineant. Cap. VIII.

Cū Dominus videret turbas, quæ illū diu secute fuerāt tēpore aduersa scēte velle redire, noluit eas dimittere, quin eis prius panem dederit, ne forte longitudine tēporis & itineris deficerēt. Nunc videmus multos viros pios, qui velut in deserto secuti sunt Christū, hoc est Christi professionem. Et nunc periculū est, ne velut in itinere deficiant, hoc est, ne præ humana infirmitate succumbant sub inimicorū persecutione, cum nullum videāt rerum exitum, neq; sciant quo sperandum sit vt sese negotia conuertant. Alii etiam qui suscepunt doctrinam reformatorum, possent nimio

onere

onere defatigari, nisi eis aliquod velut refrigerium offerretur. Præcipue cum Babylon nunc omnia prospere agere videatur, ita ut nihil ei resistere possit. Et admonitiones assuetæ inutiles sunt, quare validiores exquirēdæ sunt in Dei verborationes, quibus rerum euentus inuestigetur. Sunt etiam aliqui in ipsa Babylone, qui pertinent ad Dei electionem, qui illam vocem audient, & conuerti poterunt eius efficacia. *Exite ex illa popule mi, ne fiat is participes plagarum & ulcerum eius.* Et etiam præmonendæ sunt *decem virgines, ut parent lampades suas.* Quare iis de causis operæ precium esse existimauimus, ut omnes moneamus de suo officio, & hunc tractatulum in lucem ea de re ederemus. Scimus tamen multos esse, qui ideo nos arguent, tanquam aliquid noui proferentes. Verū ex alia parte Deus nos arguet, si *talentum nostrum occultauerimus.* Cui igitur prius satisfaciemus? Deo scilicet. Dicāt postea homines quicquid voluerint. Non enim nouū est, quod antiquitus in Dei verbo fuit repositum, etiam si multis viris multisque seculis incognitum fuerit. Etiam multis etiam illud innotescit, & res ipsa loquitur. Illud tamen dico, *me non proponere hoc, ut publicationem diei aut horæ iudicii, sed ut præmonitionem ad illam, ut interim virgines parent lampades suas.* Scimus vero multas ea de re præmonitiones in Euangelio contineri, quare nec nouum erit præmonere, neq; res reprehensione digna. Exponam tamen vocem illam: *Exite ex illa populus meus, ne fiat is participes plagarū & ulcerum eius.* Certum est, hanc ciuitatem quæ

vocatur Babylon, spiritualiter quoque dici Sodomā & Ægyptū. Ex quo fit vt liberatio populi Dei ex eius manibus, compareretur exitui Israelitarum ex Ægypto. In quo exitu, Deus multis plagis percussit Ægyptum, sicut & nunc reseruantur *septem phiale ire Dei*, vt iis percutiatur hæc *cinitas, dicta*, seu regnum dictum, *Ægyptus*. Vult igitur Deus, vt populus eius ex ea exeat, ne fiat participes plagarum eius. Illud denotat Deum separaturū populum suum, vt quondam separauit *terrā Gofon* in Ægypto, vt eū præseruet a plagis, quibus Deus percutiet hanc Ægyptum & Babylonem. Exeundum tamen est ex illa, quoniam qui cum illa manent, videntur tacite approbare eius nequitiam, & ideo eius plagæ in illos extendentur. Dicit autē Dominus, loquens de hoc tempore, *qui volet animam suam custodire, amittet illam: Et qui amittet illam propter me, viuificabit illam*. Hoc ita intelligendum est, aliquos esse, qui curabūt custodire animam suam, hoc est animalem & mundanam vitam, & tamen illam amittent, & sic duplicem iacturam facient: primo vitæ æternæ, quæ est præcipua, deinde etiā vitæ ipsius terrenæ, quia ipsi vt illam seruent, cōponent cum inimicis veritatis, & idololatriæ consentient. Postea ipsi inimici eis non fident, sed vt proditores occident. Aut fideles cum superiores euadent, eos cum veritatis inimicis trucidabunt. At qui vitam exponunt pro Dei verbo, animam suam viuificabunt vita æterna, & si opus sit hac animali vita, quoniam antequam inimici eos occidant, vices mutabuntur, & qui prius fideles affligebant, affligentur ipsi. Me-
lius

Matt. 16. 25.

lius quoque est vitam animalem amittere, quam
vtriusque vitæ terrenæ & cælestis iacturam face-
re. Cæterum cum Satan expellitur, tunc omnem
suam euomit rabiem, sic cum ex hominum cor-
poribus eiiceretur, eos misere torquebat. Nunc
non ex microcosmo eiicietur, sed ex mûdo vni-
uerso, & ideo ita mundum torquet, videns perio-
dū imminere subuersionis regni sui, & deiectionis
e mundo. Hinc fit vt Apocalypsis dicat, *ve vo-
bis habitatoribus terra, quoniam Satan ad vos de-
scendit, habens furorem magnum.* dicit igitur eum
habere furorem magnum, & ilico causam subi-
cit, dicens, *sciens se parum temporis habere.* Quæ-
ro igitur cur tanto furore percitus est Satā? Quia
scit se parum temporis habere.

*Principes reformati non debent defatigari, et-
iamsi hætenus viderint inimicos suos omnia
prosperè gessisse. Et de anno mirabili.*

Cap. I X.

Sunt autē aliqui principes reformati, qui sibi
videntur timere, cum vident bestiam septicipem
hætenus sua negotia prosperè gessisse. Multi etiā
nobiles, & plebei, ea de causa defectionē moliū-
tur. Et alii qui vellent reformationis causam susci-
pere, tamen ea de causa non audent. Sciant vero
se ideo nō debere desistere, sed audentius perle-
qui. Etenim iudicium Domini ab eius domo inci-
piet, vt incipi. desinet tamē apud inimicos, & nō
quiescet, sed vltcrius progredietur, & cum seueri-
ori vltione: *si enim hæc sūt ligno viridi, quid sicco* Lucæ 23. 31.
fiet. Neque nos deterreere debet quod nostræ par-

res sint debiles, & Babylonicæ sint validiores, dicit enim scriptura, Deum esse potentem qui iudicabit eam, demonstrans, eius iudicium non pendere, ex viribus humanis, sed ex Dei omnipotentia. D. Paul. etiam dicit futurum, vt *cum dicent pax & securitas*, hoc est, cum putabūt omnia sibi esse secura & tuta, *tunc subitam eis destructionem venturam*, vt dolor parturienti, ita vt non enadant. Cum etiā meretrix dicet, *Sedeo regina, & nō sum vidua, & luctum non videbo*, tunc veniet ei subita *ruina, & fames, & nuditas, & mors & luctus*. Quare quanto magis eius status videtur securus, tanto magis est ruinosus, & in præcipitio versatur. Cur igitur hactenus ita fuit oppressa ecclesia? quia vt docet scriptura, iudiciū incipit a domo Domini. Sic oppressi fuerunt Israelitæ in Ægypto, cum occiderentur omnes infantes masculi. Et cum variis oneribus opprimerentur, donec venerit eorū iudicium, sub quo plagæ fuerūt multiplicatæ Ægyptiis. Sic Ierusalem capta fuit sub Nabuchodonosore, & populus captiuus, donec Cyrus venit, & Babylonem subegit, & mira in mundo exercuit iudicia. Sic nunc opprimitur populus Dei, donec expleto tempore promissionis, Deus aliquē nobis suscitet Cyrum, aut talem liberatorem, de quo nō dubitandū est, quin paratus sit, nos vero agamus quæ populum Dei decet, adimētes malum & facientes bonum. Nos igitur ad se conuertat Deus, vt ipse ad nos conuertatur. Fuerunt autem multi, & Astronomi, & Theologi, qui de hoc anno multa prædixerūt, vt de anno mirabili, vt est, & aliqui dixerunt esse *diem iudicii*, & *finem mundi*. Et
qui

qui *diem iudicii* esse putarunt, melius dixerunt
quam putabāt, quia maiori ex parte sub nomine
dies iudicii, existimabant se loqui de fine mundi.
Recte igitur dicebant, quod *dies iudicii* erit, sed
non bene ad mundi finem referebant, quia hic
dies iudicii, non est vltimus iudicii dies, neq; finis
mundi, sed dies iudicii Babylonis. Ceterū cum
Apostoli suo tempore dixerint, diē Domini esse
propinquum, ad id, vt omnes se condigne ad illū
præpararēt, multo maiori iure, nos nunc monere
possumus, & debemus, virgines, vt parent lampa-
des suas, & vt omnes satisfaciāt officio suo, seu pa-
stores sint, seu alii, in primis vero vt pacem & con-
cordiam, inter cōseruos suos colant. Nunc etiam
nō possum ego impedire, quin aliqui pro ipsa re-
formatione arma capebant: verum sicut D. Ioan-
nes Baptista, consulebar, Luc. 3. 14. militibus, vt *ne-*
minem opprimerent, & cōtenti essent suis stipendiis.
Sic & nunc nos possumus eos monere, qui profi-
tentur se arma ferre pro reformatione, vt sicut
causam bonam & iustam tuentur: sic etiam iuste
eam sustineant, abstinentes a furto & concussio-
ne. Plebeios vt a nequitia, homicidio, adulterio,
furto, & similibus abstineant. Certum vero est:
principes reformatos, non sub dubia victorię spe
pugnare, quia nouimus *Michaelem cum Angelis*
 suis, cōtra draconem & Angelos suos pugnaturum,
& expugnaturum draconem. Qui fit igitur vt no-
stri pugnam persæpe amiserint? quia non conati
sunt condigne pugnare, & vt decet milites, sub
tanto tamque iusto duce pugnantes. Si igitur ve-
lint vincere pugnent vt eorum dux pugnat. Est e-

nim testis fidelis & vorax qui testatur & praeliatur
iuste. Nos igitur ad eius imitationem iuste praelie-
mur, ut iustam sustinemus causam. Cum enim iu-
stam causam iniuste tamen sustinemus, tanto de-
terret ducem nostrum, & ab auxilio nostro ab-
ducit iniustitia nostra qua procedimus, quāto iu-
stitiæ causa eum ad nostrum præsidium mouet.
Itaque iuste iustam sustineamus causam, & tunc
Michael pro nobis pugnās, nostros inimicos ex-
pugnabit.

*De propinquo & felici exitu afflictionum,
quas hætenus fideles perpeſsi sunt.*

Cap. X.

Lib. Ionæ.

Est autem rerum exitus quem speramus feli-
cissimus, scilicet liberatio ecclesiæ, talisq; rerum
status, in quo pax, & iustitia, & veritas floreat.
Verum eo oportet peruenire, per multa mala, in-
commoda, & confusiones, status rerum euerſio-
nes: subuersiones multorum regū & principum,
præcipue inimicorum veritatis. Deus enim con-
siliū suū aperit, sed nō est multum temporis
ad deliberandum, & plures erunt, qui exemplum
Pharaonis imitabuntur, quam exemplum regis
Ninivæ. Quomodocumq; sit, cum Christus inci-
piet vltionem de Babylone sumere, fortasse ad il-
lum sero venient (exemplo *stultarum virginum*)
qui maturius sibi prospicere potuissent. quoniā
vero multi *pseudochristi insurgent, facientes signa*
& edentes miracula, quid de illis censendum sit
exponemus, scilicet eis nō esse adhærendum. sed
si quis dicat, *hic est, aut illic, non est eundem, aut fe-*
stinan-

*stinandum, si quoque dicant est in penetrali, aut in deserto, non eamus neq, curramus. quoniam non sperandus est Christi aduentus visibilis ante mundi finem. Hoc tamen iudicium aduentui Christi comparatur, quia Christus iudicia sua exercens, qualia per Apostolos & Prophetas predixit, ex effectibus cerneretur vt præsens, & ultionem de inimicis sumens. Differt tamē hoc iudiciū a nouissimo, quia in hoc, spiritualiter fient multa per Dei verbum, quæ in nouissimo habebunt plenū effectum. Omnes tamen septem iudicii dies, habent aliquid inter se commune. Ex quo fit vt multa de vno dicantur, quæ de alio suo modo intelligi possunt, & vt aliquando vnum iudicium pro alio sumatur, ab iis qui non inquirunt rei causas exactissimas, & etiam ex eo factum est, vt pauci admodū perceperint hanc duorum iudicii futuri dierum distinctionem, quæ tamē innotescere potest, facta collatione locorum quæ de eo mentionem faciunt, vt nos superius fecimus. Hæc tamen non proponimus vt aliquam nouam sententiam hac dere statuamus, quā nemo potest statuere præter Deum per effectum & rerum successum: Sed vt homines de suo officio moneamus vt iis rebus cautiùs prospiciant, & videant ne operibus tenebrarum indulgeant, ne forte eos deprehendat dies Domini, *dies ira, dies ultionis, & vindicta*. Sed contra ambulent vt *filii lucis*. scimus enim futurum, vt *dies Domini deprehendat filios noctis & tenebrarum non autem filios lucis*. Deus pater luminum lumine charitatis suæ, nos regat ad viam pacis & concordia, faxit etiam vt sponsa sua reli-*

His pseudonymphis, qui se vt maritos profitentur sponsa Domini, quæ vnicum deberet habere maritum, & eius legislationi adhærere, nō autem traditionibus superstitione & idololatria refertis, eorum qui *sponsi veri non sunt, sed sponsi amici esse deberent*, qualem D. Io. Baptista se profiterur, & quales Dominus dicit Apostolos esse, & ideo sponsa Domini leges ferre non deberent, sed eam monere vt legibus sponsi caste adhæreret. Ideoque nos monemus spōsam agni, vt iuxta admonitionem Apocalypseos, *se se praparet & ornet ad aduentum sponsi sui*. Quod faxit Deus vt cōdigne fiat, simulq; repleat lampadem nostram, oleo vt ei in occursum mature ire possimus.

FINIS.

Erratum.

Pag. 18. l. 8. post *adhærent* interfere *traditionibus*
Item pag. 26. l. 10. *Gosen*.